




Pomum Nuptiale,
NOBILISSIMO EQUITI,

DN. NICOLAO
A GERSDORF
IN MALSCHIZ,

Præfecturæ superior. LUSATIÆ
adjuncto Cæsareo:

celebranti nuptias

BUDISSINÆ XII. KL. NOV. AN. clō 1734.
CUM

NOBILISSIMA VIRGINE,

ANNA MARIA A MINKWIZ,
NOBIL.^{mi} DN.

CHRISTOPHORI A MINKWIZ
in Radebor, Judicii Provincial. in supe-
riori LUSATIA Adsefforis Filia:

missum à

CASPARE DORNAVIO D.

GORLICI

IN JOAN. RHAMBÆ TYPOGRAPHEO.

AUGUSTIN.

Quæ est virginitas mentis? integra fides, solida spes, sincera charitas.

462347T

SZ-2005/351/10

St 1318



[200, -]

4 11. 2005

POMUM NUPTIALE.

POsteaquam, GERSDORFI
 NOBILISS^e, divinâ sanctione, vi-
 tam hanc cœlibem cum conjugali
 permutare cogitas: ego officii me-
 mor, & observantiæ in Te meæ, γαμήλιον quod-
 dam Vobis Sponsis, POMUM NUPTIALE,
 submittendum esse judicavi. Illud verò litera-
 rium est mysticumq;: plenum, ut spero, inter-
 pretationis bonæ juxta & festivæ, commodèq;
 hoc autumnali tempore, non ex hortis Hesper-
 idum, sed Naturæ campo decerptum: quem si
 cum D. Basilio dixeris * βιβλίον ἐγχεσθῶν ὑπαγορευό-
 μρον ἢ τὸ θεῶν δόξαν: errorem minimè errabis. At-
 tende ergo pro adfectu in me tuo singulari:
 quàm bellè Tibi cum Pomo hoc Sponsæque
 Tuæ conveniat! Ac primò omnium (ut inde
 proficiscar) si pomum efflorescere lætum &
 maturari colonus cupit: arborem ita seri ne-
 cesse est: ut cæli clementiam, & stellarum be-
 nignas vires excipere undiquaq; leni influxu
 possit. Nisi enim rector ille vectorq; mundi

* librum scri-
 ptum, indicā-
 tem gloriam
 Dei.

spiritus, cælo in Universum hoc effusus, rebus omnibus impertiat & speciem & nativum vitalemq; calorem: stirpes, lapides, metalla, animalia nec existerent unquam; nec sese sustinerent. Quod dum pro sapientia tua animadverteres; committere noluisti; quin Tibi Sponsaq; Tuæ, in principio matrimonii, cælum redderes favorabile: Deum verò, cælestis boni Largitorem, voto Tuo addictissimum. Hoc Sosпитatore, quidquid uspiam mortalibus agendum est: illud & suscipiunt feliciter; & ex sententia conficiunt: addo; quantumvis difficultate perplexū sit, & expositum periculis:

* Deo favente,
ut, videretur
vati loco.

* Θεὸς θέλωντι, καὶ ὅτι ῥιπὸς πλεόσις.

* facilitate
assidue.

Proxima deinde pomarii cura est: ut non quovis promiscuè conferatur solo; sed miti, sed temperato: & cui qualitas neq; aliena, neque maligna permixta fuerit. Qualem enim succum fibræ radicum hauserint extellure * διωάμει
ἐλκυτικῇ: tale quoque nutrimentum ipse com-
bibet caudex, tale rami: ipsa deniq; poma naturam parentis terræ imitabuntur. An dissimile quiddam in familiæ dignitate cernimus?

Nascun-

P O M U M N U P T I A L E .

Nascuntur ex bonis boni, naturæ ordine & dispositione: atq; ut non solùm labes sanguinis, verùm etiam morum ad posteros, potentiâ quadam traduce propagatur: ita ex adverso in laudabili genere est vis quædam admirabilis & occulta, virtutis in stirpem derivandæ. Maecte ergo, felicissime Sponse! iterum dico, maecte! qui maturrimâ deliberatione, Virginem Tibi legisti ex e agente; de cujus illustri nomine, per tot annorum decursus celebrato, nulla unquã ætas conticescet. Ejus nobilitatem suo loco tuetur socer tuus spectatissimus, Dn. CHRISTOPHORUS MINKVVITIUS in Radebor; priscâ illâ germanaq; virtute secundus nemini. Quanto autem opere Tibi gratulor de suavissimæ Tuæ ANNÆ MARIÆ nobilitate: tantùm vicissim eidem Tuæ Sponsæ de Te marito applaudendum arbitror. Equidem non resignabo antiquitatis monumenta: ut inde illucescat familiæ Tuæ splendor: neq; de numerosissimis Tuis gentilibus multa dicam. Admirabile non minùs, quàm jucundũ fuit spectaculum: cùm Babo Comes Abenspergius, duobus & triginta filiis stipatus (oëto filias

Aristot. 1. polit.
Xenoph. in Hieron.
Plato in Menex.

domi reliquerat) Ratisbonæ comparuit; Cunrado Saliquo comitia illic celebrante. Quod si JOANNI, generoso Tuo ABAVO, ex caelesti horto ad hæc domicilia reverti daretur: sponſionem facerem; numeraret ille trecen-
 tos ultra mille nepotes: qui in novem regna
 & regiones, quasi per colonias diducti, cum
 triginta & centum familiis, quâ generosis, quâ
 nobilibus, propinquitates junxerunt, amicitias confirmarunt. Singulare reputo (dicendum est enim) planeq; divinum beneficium; numerare tantâ serie

Virgil.

Natorum natos, & qui nascuntur ab illis:

Tacit. 4. bi
 Ber.

in Repub. verò, ut censet Historicorum sapientissimus, non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum existunt. Non expromo longâ orationem de proavo Tuo paterno, Tibi cognomine; qui per annos tres & viginti patriæ Lusatiæ Præfecturam maximâ laude suscepit, majori etiâ gessit. Nihil dico de SEBASTIANO paterno AVO: cujus fidem, industriam, sapientiam ipsi Cæsares Romani exploratam habuerunt; cùm in Camera Bohemiæ, functus

confi.

P O M U M N U P T I A L E .

consiliarii loco, rebus eorum profuisset. An multa de ejusdem Sebastiani FRATRE JOACHIMO commemorē? Noverat fortissimus Elector Saxonæ Mauritius: quàm tutè in ejus sinum sanctissima quæq; consilia deponeret. Mirata quoq; tum fuit Hafniensis aula judiciū & solertiam hominis prudentissimi: quando nuptias Augusti Saxonis cum Anna regina Daniæ, quæ inter Principes sæpè magnis itinerum, temporis consiliiq; difficultatibus sanciantur, ille celeri & expeditâ legatione confecit. FRIDERICI verò parentis Tui memoriã recolere ultimam, res nulla exigit: nota quippe est, atq; etiamnum desideratur ejus probitas, candor, pietas, quâ insignitus fuit: ministri verò Ecclesiæ Patronum eum, egeni benefactorem appellant, identidemq; repetunt. Taceo ejusdem parentis Tui fratrucles, NICOLAUM & ULRICUM: quorū à multis commendatur autoritas, justitiæ amor, fides erga Rodolphum & Matthiam Cæsares: quos ambo illi, in Camerā Bohemiæ adsciti, pari consilio, pari juverunt industriâ. Atqui NOBIL.^{mo} SPONSE, ne cancris, quos pinnoteras vocant,

Pli.

videre

CASPARIS DORNAVI

videare similis: qui ut tutiores sint, inanium
concharum testis se condunt, & cùm accreve-
rint, migrant in capaciores: sic Tu judiceris
tantùm

*Juvenal.
sat. 8.*

—— generis tabulâ jaçtare capaci

Famosos equitum cum dictatore magistros.

propria quoq; ex Te monumenta in Virtutis
Honorisq; templo dudum suspendisti. No-
runt, qui te norūt: quam purè de Deo sentias!
quàm eundem judices colendum esse, & colas
tuo loco, absq; hominū placitis & commen-
tis! Quæ verò in Te præterea sint magmenta
laudis, quæ ornamenta, equestri ordine digna:
doctrina varia, juris exquisita peritia, scientia
historiarum, eleganter dicendi facultas, seu
pedestri velis, seu prorsò orationis genere:
quàm porrò in communi vita sis comis, gra-
tiosus, & pro cujusq; loco benignus familia-
risq;: ea Omnia in luce tam sunt manifestâ, ut
nullis verborum pigmentis indigeant. Age
ergo βαλὼν ἔπος, prisco verbo: &, quod facis,
porrò statue: nisi propriâ virtute exprimatür
& corroboretur majorum nobilitas: nomen
generis evanidum quiddam esse & intermor-
tuum,

POMUM NUPTIALE.

tuum: cos verò, qui grassantur immanitate
morum & obscœnitate, dici quidem nobiles;
sed quales Cyclopes solent, aut Satyri. O vos
ergo felices, verè par Sponsorum nobile! Ve-
rùm ut ad Pomum nostrum, unde nonnihil
digressi sumus, revertar: credo ego, compertas
Tibi esse vires ejusdem: & ut serenet vitales
spiritus; cor dilatando exhilaret; melanchò-
liam, quæ nonnullis balneum Diaboli dicitur
dissipet: de eo Tibi itidem, rerum naturaliũ sci-
entissimo, constare autumo. Talis Tibi erit a-
mœnissima Conjunx: quam ipse Sapiens sicut *Eccles. 26.*
solem in mundo, & columnam auream super
bases argenteas nominare dignatur: quæ non
modò custos domus futura & administratrix;
sed Te quoq; ægrimoniâ correptum exhilara- *Dio lib. 36.*
re, consolari in adversis, curare ægrum, juven-
tutis nimiam relaxationem coërcere, effœtam
senectæ austeritatem temperare potest. Hoc de
se præstabit lectissima TUA SPONSA tum e-
legantissimi corporis gratiâ: tū imprimis co-
mitate morũ, modestiâ, pietate: perinde atq;
pomum arridet omnibus & odoris fragrantia,
& colore, ex candido, aut etiam citrino pur-
B purascen-

purascente Quod si fecerit Animula Tua, obsecuta naturæ suæ liberalissimæ: non erit opus, ut tecum consensura thalamum, prius inducet mala Cydonia: quod Socrates suasit:

*Plutarch. 11.
præcept. conjug. 11.*

*Grata ori & stomacho cum sint, ut & halitus illi
Sit suavis.*

Nihil his opus est illicitis: sola animi puritas, sola morum suavitas philtum est, Deo hominibusq; probatum: quo coalescunt animi, & inter se devincientur,

Or. d. 5. trist.

— dum lumen solare tenebunt.

Neque est, quod metuas, ne usu Tibi veniat, quod quibusdam ex pomis accidisse videmus. Ut enim illis, quod sunt pulchriora, eò magis infecta atq; vermiculi insidiantur: ut levi impulsu decidant ab arbore: ita quibusdam ex masculo sequiori q; sexu

in G. nat.

— rara est concordia forma

Atq; pudicitia.

Verum enimverò ubi pietas accesserit, fundamentum omnium virtutum, quam Consors Tua Nobil.^m sibi propriam fecit ac perpetuā: etiam formosissima sunt tuta: nec corruptellam hujus mundi sentit, quicumq; pietatem
in ani-

POMUM NUPTIALE.

in animum demiserit: perinde atq; Pomum à putredine præservatur; si Austri specularibus arceantur. *Plin. lib. 15. cap. 16.* Accedet huc alterum Te oblectandi delitium; liberorum procreatio: quâ

Te vitis instar, prodigo

Psal. 128.

Conjux beabit germine;

Quod ambiat mensam & domum,

Quales olivam termites.

Hoc mihi cum animo reputanti, in mentem venit mali Punici: quod Darius in manu tenens, se non expetere dixit majorem thesaurum; quàm ut tot haberet Zopyros; quot illius pomi grana numerarentur. Ego verò, mi GERSDORFI, tot Tibi liberos precor, in spem generis, Ecclesiæ, Reipublicæ. Conjungent hîc vota sua mecum, fat scio, optimi quiq; & qui tuis benè cupiunt commodis atq; ornamentis. Ex illorum subselliis, si litem mihi intendis, Diribitorem appello avunculum tuum, MAGNIFICUM DN. CASPAREM MEZERADIUM, Præfectum Lusatix hujus illustrem: quem honoris ergo nomino: ut singularis ejus sapientia in divinis humanisq; rebus meretur: meretur quoq; ejusdem erga me benevolentia,

CASPARIS DORNAVI

nevolentia, familiariùs sæpè contestata. Hic ergo non Tibi exoptet prolem & vivacem, & lepidam, & optimam & plurimam? Atq; hæc felicitas Vestra ut nullo calamitatis, lædatur aut miserix confinio: minimè vobis contingere velim (ac ne continget quidem) quod pomis alicubi. Quæ ubi inter se colliduntur impetuosius: facile accidit; ut putredine contractâ, & ad intimam usq; pulpam serpente, ætatem ferre nequeant. Absit ergo à toro vestro Pomum illud, quod ex invidentia Eris nuptiali convivio Pelei & Theridis iniecit: absit omnis simultas, ex qua diffidentia, absit odium, ex quo inimicitia oritur; absit ira, unde

Claudian. In jaculum quodcumq; gerit dementia mutat.

Scitum enim est; quòd veteres in nuptiis Mercurium juxta Venerem collocarunt: itemq; Suadam & Grantias: ut docerent; conjuges invicem, quæ vellent, impetrare verbis, non verberibus; persuadendo, non pugnando debere. In medio autem felicitatis tuæ & delitiarum cursu, iterum se poma oculis tuis ingerunt: quorū decor & venustas perbrevis est, eorum maximè; quæ hodie etiam nascuntur ad Sodo-

morum

*Plutarch. in
precept. con-
jug.*

POMUM NUPTIALE.

morum ripas: sive illud mare mortuum, sive asphaltites nominetur. Ea quidem poma delicias faciunt oculis, formaq; extrinsecus speciosâ blandiuntur: sed si vel dentem infigas, vel digitorum attactu premas plusculum: incineres fuliginemq; abeunt. Pomum itaq; carpens, aut etiam intuens,

* σκέψαι τὸν ὄραν ὡς ὀλιγοχρόνιον:

usq; adeò in rebus humanis

——— *nulla est sincera voluptas,*

Sollicitumq; aliquid latens intervenit:

imò ipsum mortis jaculum, quasi de filo putri, cervicibus nostris quotidie impendit. Felices Vos ergo, si hujus quoq; rei meminertis: quotiescunq; pomum contrectare liceat. Sed ne gaudium vestrum contaminare videar, rei illætabilis mentione: eadem poma, quæ animum perturbant, erigunt vicissim: quòd exactâ hyeme in deperditorum loca succrescunt nova, ex arbore, quæ mortua videbatur. Perinde etiam decretorio illo die recuperabunt membra nostra amissum decus: quid dico, recuperabunt? ubi vita creditur esse beatè sempiterna, sempiternè beata: ubi erit certa

* Quàm perosa
at parvo tem-
pero forma
vide! Plato
apud Laert.
Ovid. 7. Me-
tam.

securitas, secunda tranquillitas; tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: ubi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & unus omnium spiritus. Dabit hoc Tibi Tuæq; generosa Compariis, quem supra dixi celestis boni datorem: in quo voto finio: precatus Vobis insuper, quæcunq; dulcia aut utilia evenire cuiquam possint. Quod si Pomum nostrum insipidum alicubi videtur, nec convestitum colore decenti: id tuo erga me amore mitiges, quæso, ignoscas, & sic statuas: * ἀντοχεδίαζεν τὰ δέντρα, quod Themistocli tribuit Thucydides, haud concessum multis, aut in proclivi esse. Neq; verò agrè facies mihi: si de Pomis alia quædam explicare Tuæ Sponsæ velis, & disquirere cum ea: qualia sint Poma, quæ olim Colcos & Cliterninos, quæ item furtiva & βεγαλῖα dixerint. Sed modus esto. Tu NOBIL.^{me} SPONSE, ἑρῶσον καὶ αἰδέεσθαι: sed & me, Tui studios.^m redamare perge.

de re nata
proferre, quid
dicto factore
opus sit.

Sic Tibi frugiferos, tristi sine murmure cali
Exstillans, hortos placide riget aureus imber:
Ut scævâ quoties latâ redit annus in orbem,

Fæcun-

POMUM NUPTIALE.

Fœcundâ capias vitalia ab arbore poma.

Ceu mundum sine sole, torum sine prole putamus,

Absit membrifrago Morbonia sava dolore:

Sint animi faciles in sano corpore vires.

Quæ petimus, faxit Pater omnipotentis Olympi.

Et faciet: mitis Pater est. Hic terminus esto.

F I N I S.



